

INDEX DISPUTATIONUM

Theologicarum

sub Praesidio Leonb. Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-
nae et personarum Trinitatis

3 De personarum in unadi-
vina essentia differentis
notis characteristicis ordine
et de generatione ac divi-
nitate filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti
ejusque aeterna processione
a Patre et filio, et de Sa-
cramentis tam veteribus quam
recentioribus etc.

5 De peccato originali per
difficiliorem stragem plurimum
opposita.

6 De blasphemia in Spiritum
sanctum sive peccatum ad
mortem

7 De unione hypostatica du-
arum naturarum in Christo

8 De communicatione et
naturarum et earum de-
terminatum in Christo

9 De officio Christi sacerdo-
tali et statu Summationis

10 De officio Christi re-
gio, et statu exalta-
tionis

11 De justificatione ho-
minis peccatoris coram
Deo

12 De efficacia ministerii
verbi et sacramentorum
Dei Ministeriorum Ecclae
sive vocatione

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 11.

15 De sacramento ingere-
re 13 a. c. 4.

16 De Baptismo, c. 4.

17 De Coena Domini. 10

18 De poenitentia et
Confessione 11. 12

19 De Traditionibus hu-
manis in Ecclesia

20 De rebus civilibus
et potestate Ecclesi-
astica. 16 c. 7

21 De extremo pudore
22 De libero arbitrio
23 De causa peccati
24 De cultu sanctorum
25 Ex Jerem. Ecce agnus
illi Dei qui tollit peccata
mundi
26 De verbo Dei
Scripto seu Scriptura
in sacra.

DISPUTATIO VI.

De

LIBERO AR-

BITRIO

De qua

Christo Optimo Maximo Auspice

SUB PRÆSIDIO

LEONHARTI HVTTERI,

SS. THEOLOGIAE

DOCTORIS:

Ad diem 10. Julij, respondebit

M. GEORGIVS VVILHELMVS

HAMMERVS Hilperhusanus

Francus.

Horis locoq; consuetis.



F E N Æ

Typis Tobia Steinmanni

ANNO clb lb XCVI.

*Ornatus: in Druck: An: Nicolao Apicler
maximo librarium Magistro, Gerohardo Thau,*





REVERENDO, CLARISSIMO,
ET EXCELLENTISSIMO
viro, Dn. M. JOHANNI DINCKE-
LIO, Diæceseos Coburgensis Superattendenti
generali, eiusdemq; Ecclesiæ pastori
dignissimo:

ET
MAGNIFICO, ANTIQVA NOBI-
litate, consilio, autoritate, fide, ac virtute,
longoq; rerum usu, & experientia, am-
plissimo viro, Dn.


MAVRITIO AB HELDRIT
IN BOCKSTAD, Illustrissimæ aulæ Co-
burgensis Consiliario pri-
mario.

*Dominis & Mecænatibus suis omni observan-
tia perpetuò colendis.*

NEC NON ETIAM
ornatissimo & integerrimo viro
Dn. VVOLFFGANGO HAMMERO
Hilperhusano Fr. Notario publico, coenobijq; Dit-
tenbornensis in comitatu Honsteinensi
præfecto; Fratri suo ger-
mano.

*Hasce de Libero arbitrio propositiones in
grati animi symbolum. D. & C.*

M. Georgius VVilhelmus Hammerus
Hilperhusanus Fr. Respondens.



Theſes de libero arbitrio.

T H E S I S I.



LIBERI ARBITRII, Græcis ἀνεξέστικον dicti, appellatio, è philosophorum scholis, ad doctrinam Ecclesie traducta, primum hominis statum, quem integri nominare solemus, propriè respicit.

2. Fuit enim ad imaginem Dei primò ille conditus: ac proinde in mente & intellectu ipsius, re-
ctitudo scientiæ: in affectibus ac motibus internis obedi-
entia pura & sancta: in voluntate deniq;, liberrima in
utramq; partem sese applicandi facultas refulsit.

Gen. 1, 27.
Coloss. 3.
10.
Eph. 4, 24

3. Est ergo liberum arbitrium aëctus mentis & volun-
tatis, quo inter res obiectas tam bonas, quam malas, pro li-
bitu ab homine fit electio.

4. Unde consequens est, insolens hoc liberi arbitrij
vocabulum, ad statum hominis post lapsum in hac vita
consideratum, tam improprie accommodari, quam impro-
prie quis cadaver hominem dixerit.

5. Abusive autem nimis, in hac disputatione, pro ipsa
rationis sive intellectus nostri, & voluntatis substantia,
vox hæc à nonnullis accipitur.

6. Quemadmodum enim Animam ipsam, post lapsum
protoplastorum, quoad substantiam, integram mansisse
constat: Ita potentias quoq; ejus essentielles, intellectum ni-
mirum & voluntatem, quæ nihil sunt aliud, quam ipsa ani-
ma, quoad substantiam, illesas, sartas, tectas mansisse, rectè
asserimus.

7. Quo respectu, hominem etiamnum in statu corru-
ptionis, liberum habere arbitrium, h. e. intellectu & volun-
tate præditum esse, quin affirmemus, nihil prohibet.

8. *Rectius alij, sed in laxa significatione, de anima totius humanae conditione differentes, Liberi arbitrij vocem ad facultates atq; vires istarum Anima potentiarum accommodant: Rationis quidem ad malum bonumq; discernendum; voluntatis verò ad utrumvis eligendum.*

9. *Rectissime autem in hac disputatione, ad solius voluntatis subjectum, liberi arbitrij vox, referri & potest & debet.*

10. *Non enim de totius anima humana conditione hic quaritur: sed de voluntate potissimum hominis, quid & quantum illa extra statum Regenerationis, in genere rerum merè spiritualium valeat, controversitur.*

11. *Interim tamen similem utrobq; esse conditionem & ex utraque de altera posse fieri iudicium, minimè negamus.*

12. *Controversae autem hujus questionis accuratior explicatio, duplicem requirit distinctionem: Vnam, ipsarum actionum: Alteram, temporis.*

13. *Actionum ergò sive operum humanorum, circa quae expetenda voluntas humana versatur, species aliae sunt mundanae: aliae spirituales, sive Ecclesiasticae.*

14. *Mundanarum actionum aliae sunt Naturales, quas medias etiam vocare solemus, quae secundum naturam, à quibusvis communiter, eodemq; modo fiunt, & neq; ad bonum, neq; ad malum propriè tendunt.*

15. *Sunt autem haec rursus partim homini cum brutis communes, ut edere, bibere, moveri, dormire, generare &c: partim verò hominis, ex conditione sua speciei, naturaliter se habentis, propria: ut ridere, loqui, ratiocinari, disputare &c.*

16. *Aliae mundanarum actionum sunt civiles sive morales, quae cum vita tantum praesente rationem relationemq;*

onemq; habent, & quodammodo intra ejus fines continen-
tur: Quales sunt Politica, Oeconomica, Mecchanica &c.

17. Spiritualium sive Ecclesiasticarum actionum,
quaedam sunt Externæ, spectantes ipsum Religionis exer-
citiū, inq; oculos ac sensus incurrentes: Quales sunt:
auditus & meditatio verbi divini: ejusdemq; homilitica
explicatio: dispensatio & usus Sacramentorum: cantus
psalmorum: recitatio precum: largitio Eleemosynarum &
aliorum id genus charitatis operum exercitia: Ceremonia
externa, & quæ sunt his similes.

18. Dicuntur autem hæ actiones, Spirituales, non
quidem forma, seu specie facti externa magis, quàm modo
usus legitimi, & interna finis destinatione, qua ut pluri-
mum à mundanis differunt.

19. Quaedam verò spiritualium actionum sunt inter-
næ ac propriè spirituales, quæ directè salutem anima-
rum concernunt: ut Fides in Christum: assensus verbi præ-
dicati & auditi: Conversio ad Deum: opera ex fide profe-
cta: lucta cum Diabolo & carnis concupiscentiis, &c.

20. Secundum alteram distinctionem, homo respectu
temporis consideratur, vel in statu integri, ante lapsum:
de quo suprâ thesi 2: vel in statu corruptionis post lapsum.

21. Qui posterior status triplicem rursus efficit homi-
nis considerationem: alia n. ejus conditio ante Regenera-
tionem: alia post regenerationem: alia deniq; post Resurre-
ctionem.

22. Ex duplici hac distinctione, ad præsentem Que-
stionem de libertate voluntatis humana satis commodè re-
sponderi potest, si ejus ad materiam suam propriam appli-
catio: ab impropria verò diligenter instituat remotio.

23. Ante lapsum igitur cōsideratus homo, quodcumq; Syr. 15, 14
Gen. 1, 27.
actionum humanarum genus spectes, liberrimum omnino

A 3 habuit

Eph. 4, 24 habuit arbitrium: utpote in iustitia & sanctitate veritatis ad imaginem Dei conditus.

Ier. 1, 6.

24. Lapsam vero protoplastorum, horribilis omnino iusto Dei iudicio, in secula est Natura humana corruptio: ut quoad vires seu potentias tam corporis, quam animae, nihil (ani, nihil recti & integri in universa hominis natura, a planta pedis usq; ad verticem capitis, manserit reliquum.

25. Unde consequens, ut libertas voluntatis humana, ut plurimum ad actiones malas & peccata designanda, sit prona, proclivis, efficax: adeo, ut legem etiam peccati in membris nostris constituat. Rom. 7, 23.

26. In hoc ergo miserando corruptionis statu considerata voluntas hominis, liberum quidem, sed interim infirmum, imperfectum ac debilitatum valde obtinet arbitrium, in materia sua propria, & primum quidem in actionibus naturalibus, ut pro nutu suo, etiam nondum regenerata, ea liberè quodammodo perficiat, qua ad conservationem naturae iudicat necessaria.

1. Reg. 13, 4.

27. Pendet autem haec ipsa libertas ita ab ipsius Dei providentia, ut haud raro haec ipsae actiones in medio cursu interrumpantur: Quemadmodum Rehobeam manum extentam, qua Prophetam comprehendi iusserat, retrahere ad se non potuit.

28. Deinde in rebus civilibus voluntas hominis nondum renata, aliquousq; ex libertate arbitrij progredi, & externam quandam disciplinam prestare potest: quam Apostolus $\Phi\gamma\omicron\nu\mu\alpha\tau\eta\varsigma\ \sigma\alpha\gamma\eta\delta\omicron\varsigma$ nominare; & qua meliorem Dominus requirere videtur. Rom. 8, 6. Matth. 5, 20.

29. Quò referrì debet vopo $\text{I}\epsilon\omega\iota\alpha$ & doctrina Ethica gentilium: liberalium artium ac disciplinarum inventio & propagatio: & id genus alia, qua boni mundani, ac virtutis politica laudem merentur.

Hac

30. Hæc autem quoque libertas non absolute est libera, sed Dei cum primis requirit auxilium, quo destituti homines non renati, & sibi ipsis, suoque iudicio carnali relictis, plurimum hæc etiam in parte aberrant, & frustrantur per cogitationes suas. Rom. 1, 21.

31. Tùm, quoad actiones spirituales externas, quas studium Carnale vulgò indigitant, actu externo præstandas, voluntatem humanam vires non deficiunt.

32. Potest enim audire verbum Dei, potest illud legere, discere, meditari: potest templa adire: & potest quidem hæc omnia præstare *ἡδέως καὶ μετὰ τῆς αἰσῆς πρὸς τὸν Θεόν* *ἡδονῆς*, libenter & cum omni aviditate: id quod Herodes & Berrhæenses factitasse leguntur, licet diverso eventu atque exitu. Marci 6, 20. Act. 17, 11.

For. Conc.
f. 646. &
653.

33. Tandem verò, quoad actiones internas & verè spirituales, quas materiam Liberi Arbitrii in hoc corruptionis statu impropiam nominamus, hominem nondum renatum, servum potius quàm liberum habere arbitrium statuimus.

34. Homo enim animalis non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: siquidem stultitia est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur. 1. Cor. 2, 14.

35. Hinc figmentum cordis malum esse dicitur ab adolescentia; & affectus carnis inimicitia adversus Deum, ita quidem ut solus Deus in nobis operetur & velle & perficere.

Gen. 8, 21.
Rom. 8, 7.
Phil. 2, 13.

36. Hinc Scriptura omnem viribus humanis *δύναμιν* seu facultatem perficiendi bonum, ac proinde ipsam quoque voluntati libertatem diserte denegant: adeò, ut sine Deo nihil quicquam possimus facere, ne cogitare quidem ex nobis, quasi ex nobis: sed nostra *ἐν αὐτοῖς* Apostolo teste unicè ab ipso dependeat.

Mat. 7, 18.
Ioh. 3, 27.
6, 44.
1. Cor. 4, 7.
Ioh. 15, 5.
2. Cor. 3, 5.

Vnde

lib. de Spir.
& lit. cap.

3.
l. 3. contra
duas Epist.
Felag. cap.
8.

37. Unde rectè D. Augustinus liberum arbitrium nihil quicquam, nisi ad peccandum valere: ad justitiam vero, nisi divinitus liberatum adjutumq; nihil facere pronunciat.

38. Constat hinc, quomodo voluntas hominis in conversione se habeat, nimirum non ut causa efficiens: sed ut subiectum convertendum, in quo Spiritus Sanctus per verbum auditum efficaciter operatur & velle & perficere.

39. Et hoc est, quod D. Lutherus Hominem in conversione sui, sese merè passivè habere asserit.

40. Sive enim ipsum momentum, quo Spiritus Sanctus voluntatem hominis per verbum auditum aggreditur, & jam jam in ea conversionem efficit, consideres: Sive gratiam divinam expendas, qua sola novos motus in voluntate accendit, & ex mala bonam, ex repugnantem obedientem praestat: sanè voluntatem sese ut subiectum patiens, respectu causa efficientis, passivè habere, manifestum evadit.

41. Neg, verò propterea nulla inter hominem, Truncum sive Saxum relinquatur differentia: aut conversio hominis coacta & violenta esse statuitur.

42. Præterquam enim, quòd non truncus, non saxum, non alia aliqua irrationalis creatura; sed homo lapsus convertitur: id insuper accedit discriminis, quòd, etsi Spiritus Sanctus invenit naturam repugnantem; ipse tamen ex nolente facit volentem.

43. Cujus differentiae intuitu, nonnulli Theologi Aptitudinis & capacitatis termino, in hoc negotio uti, non exhorruerunt.

For. Conc.
f. 661.

44. Unde etiam factum, ut Formula Concordiae phrasès illas loquendi rejecerit, quæ sine certa explicatione, simpliciter voluntatem hominis ante conversionem, in conversione,

versione, & post conversionem Spiritui Sancto semper repugnare: & Spiritum Sanctum ijs dari affirmant, qui ex proposito & pertinaciter eidem resistunt. Item, Hominem non modo nihil agere in spiritualibus, nullumq; agendi habere modum, quoad bonum: sed repugnantem etiam converti, aut nescium (altem, quid secum agatur.

45. Neg. n. sicut cera imago aliqua, sic cordi humano conversio inprimitur, sed, (ut rursus Formula Concordiae verbis utamur) talis est per operationem Spiritus Sancti immutatio in hominis intellectu, voluntate & corde, qua homo, non quidem ex vi propria, sed ex gratia Spiritus Sancti, oblatam gratiam apprehendit.

46. Nam Deus, ut D. Augustinus inquit, ex nolentibus facit volentes, & in volentibus habitat.

47. Et profecto nisi talis in voluntate hominis fieret immutatio ad bonum: sed stupor, violentia & coactio locum in ea haberet: jam utiq; nec voluntas amplius ipsa, voluntatis obtineret respectum; nec verò, & multò quidem minus ulla conversio vel fieri vel esse posset.

48. Siquidem totalis repugnantia, & conversio ad DEVM, in uno eodemq; subjecto simul locum habere nullo modo potest.

49. Est ergo conversionis causa unica efficiens, ipse Spiritus Sanctus, qui per verbum & Sacramenta, tanquam causam instrumentalem, ordinariè conversionem illam hominis operatur.

50. Iam verò in statu corruptionis altero, homo, post regenerationem consideratus, non modo in naturalibus, civilibus, & externis illis spiritualibus actionibus, suum, quod cum non renatis commune habet, retinet liberum arbitrium: verum etiam multò prestantiores ipsius sunt actiones, ut qua Spiritu Dei jam reguntur.

51. In spiritualibus autem verè ac propriè sic dictis,
B libera-

liberatum habet arbitrium, ut jam voluntas ipsius Spiritu Sancto illuminata ac mota, ea quae Dei sunt, atq. ad salutem aeternam directè faciunt, velit, & ad bonas actiones, Deoq. placentes alacriter feratur.

52. Hinc est, quod Apostolus Renatos nominat *συνέγ-
γας* gratia accepta, & omnia in Deo posse, nihilq. ipsis im-
possibile esse, Scriptura affirmet. 2. Cor. 6, 1. Phil. 4, 13.
Matth. 17, 20.

53. Non quidem, quod ex propria naturalium viri-
um facultate ista prestare queat voluntas humana; sed
quod ex vi gratiae Spiritus Sancti, & quidem non magis
ipsa, quam gratia Dei, quae in ipsa est, illud operetur, 1. Cor.
15, 10.

54. Est verò hac Restauratio virium hominis in hac
vita non perfecta: sed perpetua manet pugna carnis &
Spiritus: ita ut idem homo, ex ea parte, qua regeneratus,
secundum Spiritum & interiorem hominem verbo Dei as-
sentiatur: ex altera verò parte, qua carnis illecebra domi-
nantur, juxta carnem & veterem hominem repugnet &
reluctetur. Rom. 7, 23. Gal. 5, 17. 1. Pet. 2, 11.

55. In qua pugna Spiritus Sanctus accensos quidem
& à se creatos novos motus in nobis fovet, auget, confir-
mat: Malignus verò spiritus vitium in Naturâ reli-
quum roborare ita conatur, ut ne caro pravis suis motibus
ac illecebris resignans in obsequium Spiritus annuat, sed
ad pristinum peccatorum caenum & volutabrum redeat.

Rom. 10,
17. 56. Quare assidua meditatione verbi divini, quod
ad generandam fidem efficax Spiritus Sancti est *ὄχημα*:
frequente Sacramentorum usu: indefessa & ardenti im-
Matth. 12,
45. ploratione auxilij divini est opus; ne in lucta hac succum-
bentes posteriora reddamus deteriora prioribus.

57. Et talis quidem est liberi arbitrij ratio ac condi-
tio,

tio, qualis in hac vita post lapsum consideratur in homine
tam non renato, quam renato.

58. Iam verò quoad tertium huius status respectum,
in vita beata post Resurrectionem longè perfectius homi-
nis erit arbitrium, quam in Creatione ante lapsum, nedùm
post lapsum.

59. Ita enim in ea liberatio hæc perficietur, ipsaq; li-
berata natura sic per gratiam Dei confirmabitur, ut non
modò labi amplius non possit: verùm etiam voluntatis hu-
mana facultas non ut ante lapsum, ad utrumvis objecto-
rum tam bonum quam malum pariter, sed saltem ad bo-
num eligendum sese sit habitura.

60. Quæ voluntatis humanae determinatio, ejusdem
libertatem non tollet sed extollet, non interficiet sed perficiet,
ut immutabiliter quidem, liberrima tamen voluntate,
solummodò bonum sit expetitura & perfectura.

61. Id quod Christus Servator innuit, beatos cœlites
in Resurrectione sicut Angelos Dei futuros pronuncians.
Matth. 22, 30.

62. Caterùm hæc de libero arbitrio disputatio primùm
atrocitatem nostræ corruptionis ob oculos nobis ponit: &
contra, gloriam omnem conversionis, DEO in solidum ac-
ceptam refert.

63. Verissimum enim est, quod Servator pronunciat:
Si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis: Et quod Apo-
stolus dicit, nos esse opus Dei, conditos in Christo Ihesu ad
bona opera, quæ preparavit, ut in eis ambulemus. Ioh. 8,
36. Eph. 2, 10.

64. Et scitè admodum Augustinus inquit: Sic gra-
tia Dei cogitetur, ut ab initio bonæ mutationis suæ, usq; in
finem consummationis, qui gloriatur, in Domino glorie-
tur: Quia sicut nemo potest bonum inchoare sine Domi-
no: sic nemo perficere sine Domino.

Aug ad
Bonif. lib.
2. cap. 10.

B 2 Deinde



65. Deinde verò ad plurimos tùm veteres tùm recentiores errores refutandos hæc doctrina haud parum conducit.

66. Primum Stoicorum, qui omnem voluntatis humanæ libertatem, in rebus etiam externis tollentes, fatassem rerum omnium necessitatem inferebant, ac proinde hominem ad designanda peccata enormia invitum planè cogi asserebant. Cujus dogmatis vanitas in disputatione precedente proxima fusiùs & nervosiùs fuit refutata.

August. i. 1. Retract. cap. 9. & l. de fide contra Manich. cap. 5. 67. II. Manichæorum veterum, qui Stoicis succenturiantes, voluntatem malè agendi, nobis à natura ipsa insitam, neq; nostro vitio attractam esse, impiè disputabant: quin ipsa quoq; peccata Natura necessitati ascribebant.

68. III. Pelagianorum, qui peccatum Adami ipsi soli, non verò posteris, nisi solo peccandi exemplo nocuisse: ac proinde vires hominis etiamnum integras esse, easq; sine Spiritus Sancti gratia & auxilio, legi Dei satisfacere posse, somniabant.

Aug. contra Pelag. & Cælest. l. 1. c. 2. 69. Nam ut D. Augustinus admonet, tria ponebat Pelagius in homine, posse, velle, esse: quorum primum soli Deo, reliqua duo homini tribuebat.

70. Idq; hoc exemplo demonstrabat: Quòd possumus videre oculis, nostrum non est: quòd verò benè aut malè videmus, hoc nostrum est: Ita quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit: quia hoc posse adjuvat: Quòd verò benè vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est, quia hæc omnia vertere in malum etiam possumus.

71. Et quamvis gratiam Dei cum libero arbitrio interdum conjungebat: tamen eam illi non præponebat, sed astutè postponebat, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut
qua

quae facere possunt per liberum arbitrium, facilius per gratiam exequantur.

72. 1111. Doctorem scholasticorum, qui Pelagianis nihil meliores, tantam Libero arbitrio vim adscribebant, ut dicerent: Hominem posse se preparare absq. gratia ad gratiam, quia facientem quod est in se, gratia Dei infallibiliter consequatur.

73. Quorum sententiam nostra aetate Erasmus contra Lutherum disputans interpolare conatus est, dum Libero arbitrio aliquid perpusillum & modiculum adscribit; illudq. definit esse vim humanae voluntatis, qua se homo possit applicare ad ea, quae perducunt ad aeternam salutem, aut ab eadem se avertere. Cui impietati Lutherus aureum illum opposuit libellum, quem de Servo inscripsit arbitrio.

74. V. Monachorum, qui docebant, hominem sine Spiritu Sancto in hac vita Legem Dei implere, & praecepta Dei facere posse, quoad substantiam actuum, si non condigne, congrue tamen, uti barbarè loquuntur.

Andr. Fab.
harm. f.
351

75. Quanquam verò patres Concilij Tridentini, videri volunt, magis sobriè de hac questione sentire, dum magnificè satis, gratiam Spiritus Sancti, in conversione predicant, anathema dicentes illis, qui docent hominem sine praeveniente Spiritus Sancti gratia & auxilio, posse poenitere, diligere, credere, sperare, sicut oportet.

Sess. 6.
Can. 3.

76. Tamen si penitiùs ipsorum mentem consideremus, ne tantillum quidem illos à scholasticorum mēte recedere, sed eandem rectè & fucatè insinuare, constat.

77. Disertè n. Sessione eadem sexta, cap. 1. asserunt: Liberum arbitrium tam in gentibus, quàm iudaeis non esse extinctum, sed viribus tantum attenuatum & inclinatum.

78. Quin & Canone quinto ejusdem Sessionis anathemate eos percutere non erubescunt, qui liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum, aut rem de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denig, esse à Satana in Ecclesiam in vectum, dixerit.

79. Neg, verò illos vel de substantia menti & voluntatis: neg, etiam de libertate in rebus naturalibus, civilibus, aut spiritualibus externis, hoc intelligi velle, quis existimaverit.

80. Verùm de facultate inchoandi & efficiendi spirituales actiones, ipsos loqui vel inde manifestum est, quia constat de priore illo nullam tùm temporis in Ecclesia existisse controversiam.

81. Quin & ipsimet foricum instar se produnt, dum Canone septimo, fulmen anathematis stringunt in eos, qui dixerint, opera omnia, que ante regenerationem fiunt, quacung, ratione facta sint, verè esse peccata: aut quanto vehementiùs quis nititur se disponere ad gratiam, tanto graviùs eum peccare.

Tom. 3. f.
910.

82. Quin interpretem habemus Iesuitam Bellarminum, qui expresse fateatur, nos cooperari Deo, non solum post regenerationem, sed etiam in ipsa regeneratione & initio fidei: ita quidem, ut licet liberum arbitrium in actione credendi sit attenuatum, non tamen sit extinctum.

83. Hanc verò erroneam opinionem, & ipsis Sacris literis, & Orthodoxæ Antiquitati dicam scribere; ex ijs que hætenus disputata sunt, manifestissimum evadit.

Aug. contra duas
Epi. Pelag.
l. 2. cap. 8.

84. Sufficiat Coronidis loco unus Augustinus, qui contrarium planè docet, scribens: *Homini est præparare cor, & à Domino responsio lingue: non benè intelligendo falluntur Pelagiani, ut existiment cor præparare, id est, bonam inchoare, sine adjutorio gratia Dei, ad hominem pertinere.*

tinere. Absit ut sic intelligant filij promissionis, tanquam cum audierint Dominum dicentem: Sine me nihil potestis facere, quasi convincant eum dicentes: Ecce sine te possumus cor preparare. Aut cum audierint à Paulo Apostolo, Non quia idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, tanquam & ipsum convincant dicentes, Ecce idonei sumus ex nobismetipsis preparare cor, ac per hoc, & boni aliquid cogitare. Quis enim potest bona cogitatione cor ad bonum preparare? Absit, ut sic intelligant, nisi superbi arbitrij sui defensores, & fidei Catholicæ desertores.

85. VI. Synergistarum, qui voluntatis libertati in conversione aliquam adscribebant non quidem δύναμιν, sed συνέργειαν, vel uti loqui solebant, pauxillum aliquid, languidum, perpusillum, modiculum, quo voluntas hominis, licet ipsa suis se viribus erigere nequeat: accedente tamen Spiritu Sancto, ipsa quoque, ex se in conversione efficienda aliquid coöperetur.

86. Quam ob causam rectè omnino Formula Concordia has phrasas seu modos loquendi, συνέργειαν voluntatis in conversione haud obscure suffulcientes, quibus nonnulli etiam ex patribus usi fuerunt, dicentes: Trahit Deus, sed volentem trahit: Tantum velis & Deus praoccurrit &c. ex hoc articulo tanquam minus commodas removet ac rejicit.

87. VII. Manicheorum recentiorum, qui in conversione hominis, ipsam substantiam humanam, ac essentiam animæ κατὰ μέγεθος immutari: & proinde novum cor, novumque hominem ita creari statuebant, ut veteris Adami substantia, praesertim verò anima rationalis penitus aboleatur, & nova animæ essentia ex nihilo creetur.

88. Quem errorem praecclare refutat D. Augustinus, August. explicans
explicans explic. Psal. 25.

explicans dictum Apostoli; Deponite veterem hominem, his verbis: Ne aliquis arbitretur, deponendam esse aliquam substantiam, exposuit quid esset, deponite veterem hominem, & induite novum, &c. cum dicit in consequentibus: Quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem. Ecce hoc est deponere veterem hominem, & induere novum.

89. Tandem Enthusiastarum sive Stenckfeldianorum, somniantium, DEVM sine medijs seu immediate sine auditu verbi, & usu Sacramentorum, in homine per vios lentos raptus, sine omni motu, & mutatione voluntatis operari conversionem.

90. Faxit Deus unus & trinus, ut monstrosis hisce pravorum dogmatum portentis, valere jussis, ad verè beatam libertatem seriò aspiremus: in eaq; tandem aliquando extra omnem peccati aleam positi, cum cœlesti Angelorum ac beatorum cœlitum choro, DEVM in omnem aternitatem plenissimè agnoscamus, laudemus, celebremus: Cui uni ac trino Deo sit gratia, laus, & honor & gloria in omnes seculorum aternitates.

A M E N.







B.I.G.

Farbkarte #13

31.



DISPUTATIO VI.

De

BERO AR-
BITRIO

De qua

Christo Optimo Maximo Auspice

SVB PRÆSIDIO

NHARTI HVTTERI,
THEOLOGIAE
DOCTORIS:

Ad diem 10. Julij, respondebit

ORGIVS VVILHELMVS
AMMERVS Hilperhusanus
Francus.

Horis locoq; consuetis.



F E N Æ

Typis Tobia Steinmanni

anno clc l^o XCVI.



*in Dog. S. An. Nicolao Agricola
Liberalium Magistro, Sacrosanctis Theo.,*

Inches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black